





A2

INTRODVCTIONIS  
IN  
LECTIONEM  
**EPISTOLAE S. PAVLLI  
APOSTOLI  
AD  
COLOSSENSES  
SECTIO II.**

1740  
106

---

QVAM  
P R A E S I D E  
**D. CAROLO GOTTLLOB  
HOFMANNO**

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINA-  
RIO ET ALVMNOR. REGIO-ELECTORALIVM  
EPHORO

IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
D. XV. FEBRVAR. A. R. S. cIo Is CC XL.

H. L. Q. C.

P V E L I C E D E F E N D E T  
**GOTTLIEB MEZIBRODSZKY**

MODRA - HVNGARVS  
S. S. THEOLOGIAE CVLTOR.

---

VITEMBERGAE,  
STANNO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

INTRODUCTION  
TO THE  
EPITOME OF PAULI  
APOLOGIA  
CONTROVERSES  
BY  
D. CAROL. GOTTLIEB  
HOTWINO  
PROPHETICAE HISTORIAS PAULICO ORIGINIS  
PRO ET ALIAMONIUS KEGIO-HERCOTORVM  
IN  
ACADEMIA ALTEMBERGENSI  
D XXV TERRAVR A R E 1619 CC XIX  
GOTTLIEB MHSIBRICKSKY

MICH. - HAZZAR.  
ALTEMBERGENSIS  
GOTTLIEB MHSIBRICKSKY  
PROPHETICAE HISTORIAS PAULICO ORIGINIS  
IN  
ACADEMIA ALTEMBERGENSI



# CONSPECVT DISSERTATIONIS.

## §. I.

Auctorem epistolæ ad Colofenses, esse S. PAULLVM A-  
postolum docetur: & dubio  
ex Act. XVIII, 23. & c. XVI,  
6. occurritur.

## §. II.

Cur Timotheus S. Paullo in e-  
pistolæ fronte iungatur, re-  
iecta SAL. VAN TILL opini-  
one, disquiritur.

## §. III.

De Scriba, cuius opera S. Paul-  
lus in exaranda hac epistola u-  
sus, ita disputatur, ut 1) Rever.  
D. HEVMANNI nova conie-  
cta afferatur, 2) auctorita-  
ti divinæ ministerium scribæ  
nihil derogare, ostendatur.

## §. IV.

Locus, unde epistola ad Colofenses scripta, indicatur.

## §. V.

Tempus, quando epistola scrip-  
pta, notatis Cl. OEDERI, ERA-  
SMI, TILLEMONTII, WES-  
SELII opinionibus, defini-  
tur.

Quæritur simul, sitne epistola  
ad Philemonem codem tem-  
pore exarata.

## §. VI.

Tabellarii epistolæ nominan-  
tur.

## §. VII.

Lingua Graeca, & ea pura,  
scriptam esse epistolam, evin-  
citur.

## §. VIII.

## §. VIII.

Note characteristicæ duodecim Stili Paullini afferuntur, deque iisdem indicatur.

## §. IX.

De occasione scribendi hanc epistolam, nec non

## §. X.

De scopo eiusdem, disputatur.

## §. XI.

Semi-iudaizantium hæreticorum errores, in epistola notati, recensentur, atribus Missionariorum Rom. simul detectis.

## §. XII.

Gnosticorum & Pseudophilosophorum, exposita vocis συλλα-

γωγεν emphasi, familia describitur : additis id est abusu Philosophiae, pro temporum conditione, monitis necessariis.

## §. XIII.

De morosis morum doctoribus inter Gnosticos; nec non de Sylphis, Salis, & aliis morum se veritatem sectantibus ; porro

## §. XIV.

De prohibito angelorum cultu, etiamnum in Rom. ecclesia obtinente ; tandem

## §. XV.

De Cataphrygum, seu Montanistarum hæresi, differitur.

FINIS.



INTRO.



INTRODVCTIONIS  
IN  
LECTIONEM  
EPISTOLAE S. PAVLLI  
AD COLOSSENSES  
SECTIO II.

§. I.



Paulum Apostolum esse auctorem epistolæ, ad cuius faciliorem interpretationem sacrorum Auctor epistole est S. Paulus A. postulus. interpetrem præparamus, clarissime docet salutatio ipsiis his, ad Colossenses datis literis sub initium præmissa, in qua Apostoli nomen legitur expressum : ΠΑΤΛΟΣ αποσολος Ιησυ χριστος, δια Θεληματος Θεου, και τιμοθεος ο αδελφος c. I, I. Quæ Pauli & Timothei conjunctio, cum & alibi in epistolis Paullinis observetur, 2. Cor. I, I. Phil. I, I. I. Theff. I, I. &c. testimonio est, de alio Paullo, quam Apostolo Timothei que patre in Christo & doctore, cogitandum hoc loco non esse.

A

esse.

esse. Occurrunt insuper per totam epistolam signa certaque facta, in alio nemine quam in S. Paullo obvia, ut sunt quae de vinculis & calamitatibus leguntur, cap. I, 24. cap. IV, 7. sqq. de apostolatu apud gentes obeundo, cap. I, 23, 25. de fociis periculorum, horumque nominibus, cap. IV, 9, 10. quae omnia & singula unum & solum Σκευος επλογης IESV CHRISTI indicant. His si nomen Paulli in ipsa epistola repetitum addideris, vix erit, quod assensum tuum remoretur. cap. I, 23. Res & sententiae in literis propositae, Paulli spiritum sanctissimum que fervorem produnt clarissime, quemadmodum scripturaræ genus, cum aliis indubius Paulli scriptis collatum, phrasæque Apostolo familiares, immo etiam propriæ, idem confirmant. (conf. §. XIII.) Finis denique epistolæ, omnem dubitandi causam excludit, qui aperte Paulli & nomen & salutandi modum, quin & certissimam tesseram symbolicam (2. Thess. III, 17.) exhibet: Ο ασπασμος τη εμη χαιρι Παυλο. Μηνιονευετε με τω δεσμων. Η χαιρι μεθ' υμων. Ακιν. cap. IV, 18. Adderem constans & perpetuum primitivæ ecclesiæ testimonium, nisi rem in se certissimam ulteriori & aliunde petita confirmatione non egere, probe intelligerem. conf. MILLII prolegom. ad N. T. sect. 81. edit. Kuſter. p. 10. Meretur tamen MARCIONIS testimonium a veritate extortum, quod allegetur: vaſerrimus enim homo eti S. Paulli litteris lubentissime omnem fidem atque auctoritatem, quantum poterat, adimere studebat, hujus tamen epistolæ auctoritatem negare ausus non est. conf. EPIPHANIUS haeret. 48. p. m. 310.

Dubium ex Act. XVIII, 23. & XVI, 6, removetur.

Evidem ex epistolæ nostræ cap. II, 1. opinio subnasci posset lectoribus, ab alio Paullo, quam Apostolo, exaratam eam fuisse: dum enim epistolæ auctor refert, se neminem Colossenium Laodicenorumque vidisse, repugnare videtur historiæ apostolicæ, quippe qua Phrygiam ab Apostolo Paullo lustratam omnino esse, Act. XVI, 6. discipulosque in Galatia & Phrygia ab eodem confirmatos, conceptis verbis perhibet. Act.

Act. XVIII, 23. At de *Phrygia majori*, ad quam Colossæ pertinuerunt, S. Lucam loqui, verisimile non est; Mysia enim, Bithynia & Galatia, quas Lucas ut a Phrygia proximas nominat, Act. XVI, 7, 8. satis produnt, de *Phrygia minori* ad Mare Aegeum sita sermonem esse. Hanc adierat Paullus, Colossas vero aliasque Phrygiæ majoris urbes nondum viderat, cum nostram ad Colossenses epistolam exararet. conf. *Introductionis nostra in lectio*n. epist. Paulli. ad Coloff. Sect. I. §. 7. p. 7.

Longe aliter sentit THEODORETVS, dum verba Coloff. II, 1. Paulli Col. II, 1. eum in modum exponit, ut Laodicenos & Colossenses ab illis, qui Paulli faciem non conspicerant, distinguendos cupiat: *βελεται γαρ εστεν*, inquit THEODORETVS, *οι ε μην τμων, αλλα και των μη τεθεαμενον με ποιην σχω θερτια*. Quam opinionem ut confirmet, ad eum, quem ex actibus Apostolorum citavimus, locum provocat, Paullumque in Phrygia evangelii doctrinam publice docuisse, affirmat. Ut autem concedamus, verba Paulli Col. II, 1. duplici modo accipi posse, *exclusive* scilicet & *inclusive*, prouti bene observavit SEB. SCHMIDIUS in *comment. ad epist. Coloff.* p. 104. posteriorem tamen priori praestare, verborum nexus aperte satis docet. Etenim cur Paullus Colossensis & Laodicenis jungit omnes, quos de facie viderat nondum? suam de omnibus sibi faciem ignotis sollicitudinem cur commemorat, dum suam de Colossensis anxietatem exponit? *Est autem S. Scripturæ moris*, inquit SCHMIDIUS l. c. *quibusdam specialibus positis, reliqua, quæ eiusdem naturæ aut conditionis sunt, generaliter includere*. Nec est tantum modo S. Scripturæ mos, sed & naturalis rerum nexus postulat, de similibus, quorum cum eo, de quo in primis vel cogitamus vel loquimur, obiecto magna similitudo est, cogitare. Dum itaque Paullus meminit, se Colossenses nondum vidisse, quid quæso facilius erat, quam ut reliquorum Christianorum recordaretur, quos etiam non-

dum viderat ipse. Ast si THEODORE TVM audire vellemus, ratio dari posset nulla, cur Apostolus suam de Colosfensibus sollicitudinem jungat illi, quam de omnibus a se nondum visis ecclesiis habebat. Sed ne diutius his immoremur, monet THEODORE TI confessio : ἀλλὰ τότο μεν οὐδὲ βολεταὶ τις νοεῖσθαι, γάρ τις δογματῶν ποιεῖ διαφοραν, τοῦτος η εκείνως εἰπεν.

## §. II.

*Cur Timotheus  
Paullo jungatur  
in epistola froni-  
te i*

*Timotheum* sibi jungit Paullus in praemissa salutatione, cuius vitam ulterius prosequi, instituti nostri ratio non fert. Tenendum potius est, a S. Paullo Timotheum ut epistolæ auctorem non allegari, sed nomine Timothei Colossenses modo salutari. Quo factum est, ut, posteaquam Paullus in epistolæ exordio & suo & Timothei nomine verba fecerat, suo nomine, & eo solo, sermonem continuaret, numeroque plurali (ut ajunt in scholis Grammaticorum) dimisso, singularem adhiberet. cap. I, 23, 24. c. II, 1. c. IV, 3, 4. seqq.

Erat autem *Timotheus* per Asiam minorem notissimus, & in ore omnium discipulorum Paulli celebratissimus, cuius ministerio apud Ephesios, Colossenium vicinos, nec non apud alios Asiae incolas, felicissime usus fuerat. Apostolus. Quem filium suum carissimum ut omnibus optima de nota commendaret, sibi non solum saepissime in literis junxit, sed & blandissimo *αδελφῷ* titulo cohonestavit. Exoscular summam Apostoli mansuetudinem atque humilitatem, qua discipulum, magistro ne parem quidem, multo minus majorem, in totius ecclesias confessu honoravit, suoque exemplo confirmavit praeceptum aliis inculcatum : τῇ τακεναφροσυνῇ αλλαζέτε πτυχεῖνοι σπερχοντας εαυτοὺς. Phil. II, 3. Nihil enim, inquit WEINRICHIVS, theologus Lipsiensis antiqua fide & religione, melius aedificat ecclesiam, quam ubi inter docentes mutua quædam est animorum & laborum conjunctio, sinceritas & benevolentia, qua sublata, non mo-

do

do oleum &<sup>g</sup> opera in docendo perit, sed &<sup>g</sup> infinitis ecclesia ipsa periculis objicitur. v. Comment. in II. ad Cor. p. 36.

Aliam viam ingreditur SAL. VAN TILL, in *Comment.* SAL. van TILL  
ad quatuor Pauli epistolas, p. 323. Putat enim, Timotheum S. conjecturare inci-  
tur. Paulli nomini nomen suum adjecisse, ut suum quoque consensum testaretur, quippe cuius fama & auctoritas inter Phrygas satis praeclara fuisse. Sed, ut mihi quidem videtur, frustra assertur, Timotheum nomen suum adscriptisse, quia dicendum potius erat, Paullum nomen Timothei adscriptisse, vel adscribi jussisse. Nec adeo necessarius erat Timothei consensus; Timotheum enim inter Colossenses tantæ auctoritatis fuisse, ut Paulus apud eosdem fidem conciliare potuisset, vix mihi persuadent conjecturæ a TILLIO allatae. Ecquid enim opus erat consensu Timothei? nonue Colossensibus de Paulli divina legatione ac infallibili doctrina satis constabat? Ut taceam, Colossensibus Epaphram magis, quam Timotheum, notum fuisse: unde enim probatur, Timotheum unquam Colossis fuisse illo, quo nunc Paullus scribebat tempore?

Quæ Theologo Göttingenſium celeberrimo, de hac Paulli & Timothei conjunctione, in mentem nuper venerint, sequens §. docebit.

### §. III.

Manu sua S. Paullus literas has non exaravit, sed consuetâ subscriptione obsignavit. cap. IV, 18. Paullum enim saepissime scribæ manu usum esse, epistolasque in calamum alias dictasse, abunde constat. vid. Celebr. PFAFFIVS *de variis N. I. lectionibus c. I. §. 4. p. m. 44, 45.* Sic *Tertius ad Romanos* scripsit, dictante Paullo, Rom. XVI, 22. & Paullus ipse Galatis ceu insigne amoris documentum inculcat, quod propria manu prolixam ad ipsos epistolam exarasset. Gal. VI, II. Quin & immo, ne spuriae pro genuinis Apostoli literis venditari possent, *υπογραφην* propria manu subscriptis, eandemque obca-

Scriba, cujus ma-  
nu S. Paulas in  
exaranda hac epi-  
stola uias.

A 3

fam.

fam addidit: οὐτε γέαφω, sic calatum ducere soleo: quod ut ad-  
 deret frustraneum fuisset, si priora manu propria exarasset. conf.  
 2. Thess. III. 17, 18. Hanc υπογέαφην in nostra epistola quoque  
 reperimus, indeque recte colligimus, præter ultimas lineas Paul-  
 lum sua manu scripsisse nullas, cæteras dictasse. Quodsi enim to-  
 tam epistolam scriptis, cur in fine addidit: ο ασπασμὸς τη εμῆ χε-  
 ri πάντα; Nova hinc quæstio oritur, nimur quis ille fuerit,  
 cuius opera Paullus usus est in exarandis ad Colossenses literis?  
 Antiqua epistolæ subscriptio, qua, ut reliquæ fere omnes,  
 sublestæ fidei est, nominat *Tybericum & Onesimum*. Sic enim  
 fluit: πλος Κολοσσαῖς ΕΓΡΑΦΗ απὸ Ρωμῆς διὰ τυχικοῦ καὶ ονησιμοῦ.  
 Ut autem raceam, possibile quidem, nequaquam verisimile esse,  
 duos amanuenses in brevi hac epistola Paullum adhibuisse, aliunde  
 quidem constat, in υπογέαφαις sublestis vocem εγέαφη per  
 synthesis vel metalepsin ponit pro γέαφθεια απετάλη διὰ τυ-  
 χικῶς, quemadmodum subscriptionem epistolæ ad Romanos,  
 Corinthios, Ephesios, Philippenses interpretatus est b. D.  
 RAMBACHIVS in *introduction. in epist. ad Rom.* p. 16. Quod  
 si vero celeberrimum apud Göttingenses theologum, D.  
 CHR. AVG. HEVMANNVM audiremus, prolixiori di-  
 sputatione de Scriba opus non esset, quippe cuius nomen in  
 fronte literarum nomini S. Paulli additum cerneremus. Quam  
 conjecturam nuper in epistola ad venerabilem Dn. D. COT-  
 T A M gratulatoria, *de Scribis epistolarum Paulli*, (a. 1739.  
 Göttingæ edita,) in lucem protulit. Etsi sagacitatem viri do-  
 etissimi pariter & modestissimi perspectam habeo, vix ac ne vix  
 quidem credo, lydium lapidem ferre posse argumentationem:  
*Paullus sua manu ad Colossenses non scripsit; Ergo jure statuitur,*  
*scriba usum esse Apóstolum Timótheo, ineunte epistola nominaro.*  
 p. 7. Nonne quælo in epistola utraque ad Thessalonicenses  
 tria nomina premissa leguntur, *Paulli nempe, Silvani, & Ti-*  
*mothœi?* Sed duobus scribis in una epistola exaranda Paullum  
 fuisse usum, ne ipse quidem celeberrimus doctor affirmare au-  
 fuit

Celebr. D. HEV-  
 MANNI conie-  
 ctura.

fus est. Regerit tamen Silvanum honoris gratia, Timotheum operæ servilis caussa, nominari. p. 8. Quidni utrumque honoris caussa nominatum dicerem ego ? Dummodo dicere satis esset. Nec , quod *εν τοις δεσμοις* Paulli, manus catena fuerit constricta & circumdata, rem confici : nihil enim prohibebat, quo minus manu uteretur libera , brachio a catena impedito. Et reapse *εν τοις δεσμοις* scripsit manu propria, Col. IV, 18. Sed tanti non est controversia, ut diutius eidem inhæreamus, nec eam ipse Celebr. D. HEVMANNVS tanti putavit. Ceterum , docendum omnino est , sanctissimæ Θεοπνευστια non repugnare, quod S. Paullus scribæ opera usus, in exaranda hac ad canonem N. T. pertinente epistola. Evidenter si Apostolus dictavit, scribaque calamo dictata exceptit, homini incredulo subnascitur scrupulus, de infallibilitate epistolæ pariter & *αυτετρια*. Negari quippe non potest, multa menda vitio scribarum in scripta veterum irrepsisse, quæ cum a dictante, tum a scribente, haud incommode derivantur. Dabit itaque incredulus, Paullum Apostolum fuisse Θεοπνευστον, sed scribam dictantis vocem sensimque recte & plene semper assecutum, hæsitabit. Vtut Paullus distincte & clare dictaverit verba Θεοπνευστα, apud Græcos tamen varia sunt vocabula, quæ aut plane, aut sere eodem fono modoque pronunciantur, diversissimam sed significationem habent: quam facile hæc ab optimo quoque scriba misceri potuerunt ? Porro, quam facilis fuit scribarum lapsus in permutandis literis, tam vocalibus & consonis, quam Diptongis ? Orthographiam enim vel paucissimi intellexerunt. Non est, ut prius exegeta hanc difficultatem objectam pauci puter, quippe lapsus hosce non modo possibiles esse, sed & sepiissime obvios, critici jam dudum confirmarunt. vid. CLERICI ars critica, part. III. Sect. I. c. I. & VI, VIII, IX. Exemplum si ex nostra epistola desideras , accipe vocem unam eamque gravissimam, πρωτοκος, Col. I, 15. quæ pro diversa modula-

Auctoritati divi-  
nae nihil derogat  
quod Paulus  
scribatus fuerit.

dulatione diversam significationem nanciscitur. Tenetur igitur Theologus ad hæc criticorum dubia respondere: nec satis sibi consuluit, quod si ad divinam curam, scribam a gravi or lapsu servantem, provocaverit. Pia satis, sed non satis certa esset dubii solutio; sequeretur enim, donum infallibilitatis non in solo Apostolo, sed & in scriba simul, venerandum atque colendum esse, id quod a veritate longissime absit. Finge nostros typothetas, qui scribarum vices apud nos obeunt, describere textum sacrum N. T. adestne illis Dei singularis cura, ne in eo describendo labantur? Finge, Theologum in calatum literas dictare amanuensi, eritne in scriba eadem, quæ in Theologo, gratia atque circumspectio? Temerarium ergo esset, a Θεοπνευστᾳ Apostoli ad infallibilitatem scribæ concludere. Nec sufficit dixisse, Paullum, quod per scribam fecit, ipsum fecisse putari. Epistolæ Θεοπνευστᾳ non a scriba, sed ab ipso Θεοπνευστῳ viro, dependet; dumque epistolam legimus, nequaquam scribæ, sed Apostoli vocem, verba, res & sensum percipimus, quorum divinam originem eamque immediatam in Paullo agnoscimus. 2. Tim. III, 16. 2. Petr. I, 21. His autem de rebus nunc non quæritur; controversiae caput in eo versatur, unde certi simus, scribam mentem Apostoli recte ubique percepisse, literisque expressisse? Iustæ caussæ melius consuli non posse, ego quidem existimo, quam ut teneamus, Paullum literas in calatum dictatas perlegisse, easque perlectas divino suo testimonio approbasse. Dum enim Apostolus suum σημειον εν πασῃ επιστολῃ (2. Thess. 111, 17.) ad epistolæ finem adscribit, amanuensis fidem reddit indubiam, seque, quæ scripta leguntur, ceu sua agnoscere, clarissime testatur. Est enim verisimile, Paullum in tam gravi negotio, suum nomen epistolæ, de cuius fide & αὐθεντίᾳ certus nondum fuisset, prius non subscriptisse, quam & eam perlegisset atque relegisset. Poterant ergo Colossenses, cum a peregrina manu scriptam acciperent epistolam Paulli, ex hujus υπογραφῃ & apostolica saluta.

salutatione, ac denique ex infallibili apostolico, propriaque S. Pauli scribendi ratione, certissime scire, fraudem subesse nullam.

## §. IV.

Romæ epistolam conscriptam, indeque ad Colosenses mis-  
sam esse, non modo allata *πνογαρη* vetus, cui tamen parum  
credimus, sed & ipse Paullus testatur, dum I.) vinculorum su-  
orum, quibus tunc, cum scriberet, tenebatur, meminit. Me-  
minit etiam *των θλιψεων της χριστου*, c. I, 24. hasque tribulationes  
magis determinat, dum *των δεσμων vinculorum* voce utitur.  
Non carceris, sed vinculorum nomen Paullus adhibet, id-  
que iustis de caassis. Cum enim Romæ captivus teneretur,  
carceri inclusus non erat, sed catena ferrea militi custodi adstri-  
ctus & cum hoc indivulso comite copulatus. Poterat per urbem  
deambulare, amicos visitare, verbumque evangeli pro luctu  
annunciare: sed ubique miles custos sequebatur, nec aliter  
quam sequi poterat, quippe qui eadem, qua S. Paulus, cate-  
na constrictus tenebatur. Lucem inde accipiunt Paulli verba,  
cap. IV, 3. quibus Colosenses rogat, velint Deum precibus  
fatigare, ut sibi aperiat *θυραν της λογιας, λαλησαι το μυστηριον της*  
*χριστου*, δι οην δεδεμα. Qui Paullum in carcerem coniectum  
credunt, vix explicabunt, quomodo Paullus voti hujus po-  
tuisset damnari: ast e contrario ex allata vinculorum descri-  
ptione, omnia sponte & explicantur & collustrantur. vid.  
HAMMONDV in Comment. in N. T. ad act. XXVIII, 16.  
DOVGHTAEVS in anal. part. II, p. 95. VECHNE-  
RVS de pao Pauli, f. 39. Porro 2) socios vinculorum co-  
mitesque itineris nominat *Lucam, Marcum Barnabae nepotem,*  
*Iesum cognomine Iustum, Tylicum, Onesimum*, de quibus  
omnibus & singulis ex epistola ad Philemonem & ex acti-  
bus Apostolorum constat, quod Romæ in contubernio Pauli  
li captivi fuerint. Coptica quidem versio a WILKINSO

B

edita,

Locus ubi epi-  
stola ad Colof-  
enses scripta.

Explicatio Col.  
IV, 3.

edita, nominat Athenas , ceu locum, unde Pauli epistola ad Colossenses data : sed facili negotio reicitur, siquidem Paulus nunquam Athenis in vinculis fuit. conf. WOLFIVS in *cur. philol. ad N. T. tom. I. p. 277.* Consimili ratione a vero aberrant, qui epistolam Ephesi scriptam censem, quia Ephesiam Pauli captivitatem omnis sacra historia ignorat. v. TILLEMONT *memoir. de l' hist. eccl. tom. I. p. 309.* Eminet omnino ac reliquis palmarum praecepit CHRYSOSTOMI, THEODORETI, OECVMENII sententia , a nobis confirmata, Roma scilicet Paullum ad Colossenses literas has dedisse.

## §. V.

Tempus, quando  
epistola scripta.

Ven. OEDERI  
opinio.

ERASMI fea-  
tentia.

Rectissime inde affirmatur , scriptam esse epistolam tempore primæ captivitatis Romanae , in quam S. Paullus tunc temporis missus erat. De posteriori enim captivitate , quo minus cogitemus, prohibet nomen Timothei in fronte literarum obvium, siquidem in vinculis posterioribus Timotheum Roma abfuisse , literæ Paulli posteriores ad Timotheum datæ satis testantur. Idem verat nomen Marci, Barnabæ nepotis, cuius iussu Apostolus Colossensibus salutem dicit ; sed in posteriori captivitate Marcus cum Paulo Romæ non fuit. 2. Tim. I V, II. De priori captivitate loquuntur nomina mox citata, ut sunt Timothei, Marci, Onesimi, Epaphrae, aliorumque, quos omnes ac singulos cum Paulo Romæ fuisse, certo certius constat. Non ignoro Vener. Dn. OEDERVM longe aliter sensisse, & cum beate defuncto Hamburgensem Doctorem, IO. CHR. WOLFIO, hac de re disputasse, sed ne me doctissimæ huic controversie immisceam , causæ una plures suadent. conf. IO. CHR. WOLFII, *cur. philol. in N. T. tom. III. p. 5. seqq.* Ad ERASMVM potius mea se convertit oratio, qui Paullum hanc epistolam in ficta illa captivitate Ephesini scripsisse censuit. Miror, tanto viro id id

id in mentem venire potuisse, quippe quem vinculorum Ephesinorum incertitudo latere non poterat. Omnem rem, si quid recti iudico, dirimunt nomina sociorum Paulli, tam in fronte quam in fine epistolæ nostræ allata; docent enim, de alia nulla, quam Romana captivitate cogitandum esse, ideo quod ex actibus Apostolorum patet, Romæ hos omnes atque singulos captivo Paullo adhaesisse. Sed dum Ephesum cogito, succurrat quæstio, fueritne epistola Paulli ad Ephesios eodem, quo ad Colossenses, tempore scripta? Negat laudatus TILLEMONTIVS *memoir. eccles. tom. I. p. 694. 874.* in que posterioribus Paulli vinculis ad Ephesios datam esse epistolam, probare exinde satagit, quia Timothei nomen in inscriptione epistolæ ad Ephesios horumque salutatione omissum, quod tamen in literis e prioribus vinculis missis semper additum reperiatur. Sed non est, ut propterea a consueta sententia recedamus, cum ex Epistola ad Hebreos, e prioribus vinculis data, c. XIII, 23. constet, quod Timotheus vinculis liberatus fuerit prius, quam Paullus, inque Asiam minorem reversus. Quid itaque prohibet, quo minus afferamus, literas ad Ephesios missas esse, postquam Timotheus vinculis solitus Roma discesserat. Hinc forsitan nominis illa omissione. Vrget TILLEMONTIVS, a Paullo Tychicum missum esse Ephesum, tempore posterioris captivitatis, 2. Tim. IV, 12. cumque epistola ad Ephesios per Tychicum allata fuerit, Eph. VI, 21. sequi, non e prioribus, sed posterioribus vinculis datam esse epistolam ad Ephesios. Vnde vero TILLEMONTIVS probabit, Tychicum semel, non bis, Ephesum rediisse? Loca citara nos docent, Tychicum & in prioribus & in posterioribus vinculis, Paullo adhaesisse, eiusque mandata ad Ephesios, Colossenses, aliasque Christo addictos populos pertulisse. Singula haec corruerent, si opinio, quam Lugdunensis Theologus, IO. WESSELIVS, in orbem divulgavit, valerer. v. WESSELII no-  
orat. de laudib. Paulli Apostoli. Doctus enim hic Belga poste- riora <sup>na opinio refuta-</sup>

riora Pauli vincula plane negavit, martyriumque, vincula  
hæc consequens, fabulis adnumeravit: e contrario quam nos  
posteriorem, ille non solum priorem ad Timotheum, sed &  
omnium fere epistolarum Paullinarum primam existimat. E-  
pistolam ad Colossenses in vinculis Paulum scripsisse conce-  
dit, sed in prioribus, posteaquam scilicet Timotheum ad se  
Romam evocaverat. 2. Tim. IV, 9, 21. Prolixe pariter &  
erudite DN. WESSELIVM confutavit Plur. Rever DN.  
M. GVDIVS, in peculiari diatribe, quam sue *de ecclesiæ  
Epheſinæ Statu* commentationi p. 228. subiunxit. Brevitatis  
cauſa unum hoc monemus, quod inter vincula in epistola ad  
Colossenses commemorata, & vincula in posteriori ad Timo-  
theum allegata, maximum intercedat discriben, WESSELII  
opinione uno impetu proiiciens. Ex illis evasit vivus, spem  
que semper habuit firmissimam, fore, ut ad Philemonem fuos-  
que salvus rediret: Philem. v. 22. Ex his ut liber dimittetur,  
spem plane nullam habebat, seque ad ultima fata subeun-  
da preparabat. Quid, præparabat? Quin etiam de marty-  
rio instanti vaticinabatur. Quod enim 2. Tim. IV, 16. seqq.  
legitur, nuda ad mortem præparatio dicenda non est, sed præ-  
dictio & vaticinium hominis θεοπνευτις, cuius complementum  
sequi necessario debuit. Hæc si b. SEB. SCHMIDIVS  
ponderasset, dubium non est, eum absque hæsitatione senten-  
tiae nostræ subscriptissime, quod facere olim quidem dubitavit.  
Sic enim: *Communiter, inquit, ad priorem captivitatem refe-  
runt, sunt tamen, quæ rem dubiam faciunt: nisi quod communi-  
sentientia nolumus contradicere.* vid. *Comment. ad Coloff. p. 2.*

Sitne epistola ad  
Philemonem co-  
dem tempore  
cripta.

Eodem tempore, quo ad Colossenses, Paulus etiam scri-  
psit ad Philemonem, id quod tam ex Onesimo, hujus episto-  
lae latore, Col. IV, 9. collat. Philem. v. 13. seqq. quam ex salu-  
tationibus nomine Epaphræ, vinculorum socii, Col. IV, 12, 13.  
Marci, Aristarchi, Demæ & Lucæ, haud incongrue colligitur  
Col. IV, 10. seqq. collat. Philem. v. 23, 24. TILLEMON-  
TIVS

TIVS quidem in partes CHRYSOSTOMI & THEODORETI abiit, epistolamque Pauli ad Philemonem uno anno prius, quam hanc ad Colossenses, scriptam existimavit. Sed argumentum, quo summi illi Viti nituntur, nostrum a fensum extorquere non potuit. vid. *memoir. de l' hist. eccl. T. I. p. 605.* Existimant enim epistolam per Onesimum mitti non potuisse, nisi antea cum hero suo Philemone in gratiam rediisset, & Philemon Onesimum Romanum ad Paullum remisisset. Sed eti Paullus restatur, Onesimum sibi in vinculis multo usui fuisse, Philem. v. 13, 14. nequaquam tamen a Philemone postulat, ut eundem ad se remittat. Et qui potuisse eum remittere Philemon, dum Paullus his ipsis in literis mandabat, ut hospitium sibi proxime venienti pararet? Interim, si quid nos a nostra sententia mouere posset, SEB. SCHMIDII observatio id efficeret, qua tradit, Aristarchum Col. IV, 10. *captivum*, sed Philem. v. 26. *liberum* fisi; Epaphram Col. IV, 12. *liberum*, sed Philem. v. 25. *captivum* dici: quae simul stare non possent, si utraque epistola uno anno, unoque & eodem tempore, scripta fuisset. At enimvero Apostolus eti Epaphrae vincula tacuit in epistola ad Colossenses, neque tamen ea negauit. Habuit causas suas, cur hoc loco taceret: habuit etiam, cur illo loco ea celebraret; Idem de Aristacho estiudicandum. Tandem evolventi mihi HEIDECKERI *enchoridion bibl.* p. 902. admiratio subnascitur, doctissimum virum levissima ratione adductum, epistolam nostram ad posteriora vincula S. Pauli retrulisse. Vrgit scilicet, Paullum Col. IV, 16. meminisse epistolam Laodicea scriptam, hoc est, ut ipse putat, prioris ad Timotheum, quae post priora vincula scripta est. Sed frustra haec dicuntur, cum ex sedula verborum Paullinorum consideratione pateat ad oculum, epistolam a Laodicenis (*επ της Λαοδικειας*) ad Paullum missam intelligi, non ad Laodicenos, quemadmodum Seft. *I. introductionis nostrae in lectionem epistolae S. Pauli ad Colosenses*, §. 19. p. 33. evicimus. Tandem observasse iuvabit, quia Apostolus Philemonem rogat, v. 22. ut sibi hospitium

SEB. SCHMIDII  
observatio.

HEIDECKERI  
RVS notatur.

*Sub Finem pri-  
mae Rom. Capti-*  
*tium*

vita*us* scripta est. tium paret, epistolas ad Colossenses & Philemonem sub finem primæ captivitatis Romanæ scriptas credi, cum S. Paullo proxima spes in Asiam redeundi facta esset. Cadit autem liberatio S. Paulli e prioribus vinculis, in annum Neronis secundum vel tertium, qui fuit a N. C. LX. vel LXI. si recte calculum posuimus in PRITII introducit. ad lectionem N. T. p. 247. edit. nostræ.

## §. VI.

Tabellarii epistles.

Per Tychicum missa est epistola ad Colossenses, c. IV, 7. cui Apostolus simul imperavit, ut Colossensibus ore tenus narraret, quæ sit suæ Romanæ captiuitatis conditio, quæ spes libertatis. Τα κατ' εμε πάντα γνωρίσαι υμῖν, quæ ad me, omnia narrabit vobis. Col. IV. 7. Vitam hujus nuncii vere Apostolici, in allegata Secc. I. introd. nostræ §. 18. p. 28, 29. recensuimus, ut etiam p. 25. seqq. de Oneſimo, qui comitatus est Tychicum, monuimus, quod olim impius, postea ad Christum conversus, & ad dominum suum Philemonem remissus fuerit. Col. IV, 9. SALOMO VAN TILL existimat, remittendam fuisse epistolam per Epaphram, ut Legatum Colossensium ad S. Paullum; fieri autem non potuisse, ob intervenientem Epaphræ captivitatem; vocatur enim in epistola ad Philemonem v. 23. Paulli συναγκυαλωτος εν χειρισθε. Caeterum patet inde, veterem υπογραφην hujus epistolæ recte sese habere: Προς Κολοσσας εγχαρφη (missa est v. §. 3.) απο Ρουην δια τυχην και Ονθημ. Leicestrensis codex τυχην και Τιμοθεον nominat, sed ex epistola inscriptione facillime ostenditur, Timothei nomen in mendo cubare. Syrus interpres Oneſimum omisit, Coptica autem versio Achaicum & Marcum superaddidit, observante IO. MILLIO in N. T. p. 472. edit. Küster.

## §. VII.

Lingua Graeca e-  
pistola est scri-  
pta.

Lingua Graeca exarata esse epistolam, Græcus Textus non modo, sed omnium saeculorum doctores uno ore profi-  
ten-

tentur. Cum enim Colossenses, ad eos qui Asiam incolentes græca lingua loquebantur, pertinerent, omnesque Phrygum nummi, etiamnum extantes, Græcis inscriptionibus sint ornati, Paullus quoque Græce ad hos scribere debuit, voluit. Sapientissimum præterea fuit D E I consilium, ut Græca lingua omnes N. T. libri conscriberentur, quippe quæ illa ætate, qua evangeliū omnibus sub sole populis annunciatum erat, fere ab omnibus & legi & intelligi poterat. *Græca leguntur in omnibus fere gentibus*, inquit CICERO, *latina suis finibus exiguis sane, continentur. orat. pro. Archia c. x. cui IV VENALIS accedit. Sat. 15.*

*Nunc totus Graias habet orbis Athenas.*

Sed quia hæc in notis ad b. PRITII introd. p. 287. prolixius confirmavi, filum orationis abrumpo, ne crambem bis coctam apponere videar.

De puritate linguae græcae ab Apostolo neglecta, conque-  
sti sunt viri pene multi, nunc Cilicis morum, nunc Barbari.  
Linguae Græcae  
smorum, nunc Ebraicis morum, immo vero & Soloecis morum  
Paullum damnantes. Nuperrime easdem calumnias repetit  
IO. LAMIVS, in Academia Florentina Professor Publicus,  
in libro *de eruditione Apostolorum*, p. 161. seqq. veritusque non  
est, Paullum nostrum rusticis adnumerare, ac varia in Aposto-  
lum iniuria proferre: cuius temeritatem utinam plures castiga-  
rent. Castigabunt autem, qui artes fraudesque LAMIANAS,  
quidni & Pontificias, quoisque tendant, animadvertisunt. In  
hac ad Colossenses epistola, iidem hypercritici se multa, a pu-  
ritate linguae declinantia, reperisse sibi videbantur, ad quæ  
vindices tamen stili sacri satis abundeque responderunt. In  
primis criticæ curæ b. IO. CHRIST. WOLFII laudibus  
eximiis sunt ornandæ, quibus virorum doctissimorum observa-  
tiones in unum volumen studiose collegit, & ad vindicandam  
S. Scripturæ dignitatem necessaria quævis & utilia congregavit.  
Addan-

Addantur nobilissimi Angli, ANTONII BLACKWALLI, *The sacred Classics defended and illustrated Tom. I. part. I. c. 1. 2.* seqq. cuius regulæ, de servata ab Apostolis linguae græcæ analogia, optime quidem, sed curatius ponderandæ disponendæ, atque vindicandæ; mihi videntur. Ne quid de aliis viorum laudatissimorum, in nostra præfertim Academia & olim & nunc clarissimorum, laboribus dicam, quorum scrinia expirare nefas est.

### §. VIII.

De Stilo Apostoli Pauli.

Nec est, ut de Stilo S. Pauli Apostoli plura præcipiamus. Qui unam alteramve epistolam Pauli perlegit, ad nostram si accedit, sine mora genus scripture, quod Paullus proprium habet, animadverteret, hacque cum cæteris Paullinis collata, nullus dubitabit, virum, cuius stylum nemo facile imitabitur, loqui & scribere. Non est cuiusvis hominis Paullinum pectus effingere. Tonat, fulgurat, mevas flamas loquitur Paullus, inquit E RAS MVS in annotat. ad N. T. p. 450. Habet Paulli stilus suos characteres, a doctis interpretibus multa opera observatos, nunc ad nostram epistolam paucis applicandos, ita tamen, ut quid mihi de singulis videatur, candide edifferam. In salutationis formula S. Paullus gratiam Dei solet paci divinae præmittere, χάρις νυν καὶ εἰρήνη από Θεού Πατέρος &c. Rom. I, 7. I. Cor. I, 3. 2. Cor. I, 2. Gal. I, 3. Ephes. I, 3. quod vel ideo fecit, ut originem pacis paci ipsi præponeret, omnemque Christianorum felicitatem a divina gratia, amore, benevolentia, & misericordia derivandam doceret. Eadem consuetudinem retinet in nostris ad Colossenses literis, suisque egenus post χαριν adprecatur, cap. I, 2. Pax enim est fructus & effectus gratiae: neque quisquam conscientia tranquillitate frui potest, nisi de favore divino, & de reconciliacione cum summo Numinе firmiter persuasus. vid. RAMBACHIVS in instit. hermen. Sacr. p. 246. Rei natura exigit hunc ordinem, non solum a S. Paullo, sed & a Petro & Ioanne observatum. v. I. Petr. I, 2.

Note characteristicæ stili Paulini, cum epicrisi repetita.

n. I.

Eadem consuetudinem retinet in nostris ad Colossenses literis, suisque egenus post χαριν adprecatur, cap. I, 2. Pax enim est fructus & effectus gratiae: neque quisquam conscientia tranquillitate frui potest, nisi de favore divino, & de reconciliacione cum summo Numinе firmiter persuasus. vid. RAMBACHIVS in instit. hermen. Sacr. p. 246. Rei natura exigit hunc ordinem, non solum a S. Paullo, sed & a Petro & Ioanne observatum. v. I. Petr. I, 2.

I, 2. 2. Petr. I, 2. 2. Ioh. 3. quare & hunc characterem dicere Apostolicum, quam Paullinum, mallem ego. Vtitur s̄epe Paulus nomine *Iesu Christi, Patris Iesu Christi, & Domini;* Idem facit in nostra epistola, ubi statim ab initio Θεος πατηρ ημων καὶ ΚΥΡΙΟΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ celebratur, c. I, 2. 3. 4. 14. adde porro cap. II, 1. 2. 6. c. III, 18. Sed neque hunc characterem Paullo proprium dicerem ego, siquidem in scriptis S. Petri, & S. Ioannis dulcissima illa nomina coniuncta, horum paucas paginas si ad illius prolixiores epistolas dimetieris, toties fere, ac in Paulli literis leguntur. Consuecit Paullus, unionem & conformitatem fidelium cum Christo inculcare, & ceu maximum novi foederis beneficium laudare. Vide quæso, quam diligentissime hac de unione mystica in nostra epistola præcipiat; Christum τὸν κεφαλὴν τὰ σώματα c. I, 18. seqq. c. II, 10, 12. mortem cum Christo, & sepulturam c. II, 12. c. III, 3. vitam & resurrectionem cum Christo commemorat c. III, 13, 18. c. III, 1. seqq. Atque de hoc charactere recte monent exegetae, quod sit Paullo peculiaris, rariusque ab aliis scriptoribus N. T. adhibitus. Solitus est Paullus divinitatem muneris sui Apostolici præ se ferre, Gal. I, 2. 2. Cor. XI, & passim; eundem morem in nostra epistola servat, suaque in ecclesiam IESV merita decenter prædicat, Col. I, 23, 29. Evangelium ut plurimum titulo μυστηρίου condecoravit, quod ab aliis Apostolis factum ignoro, sic & Col. I, 26, 27. c. II, 2. c. IV, 3. Iesum ut *Omnia in Omnibus* neophytis semper fere commendavit: idem agit Col. I, 16, 17. c. II, 3, 10, 11. Christoque uni omnem salutem, vitæque aeternæ spem nobis partam, vindicat. Apostolus contra Iudeos evangeliī hostes & contemtores, divino zelo semper fervuit, summaque animi vehementia in semi-iudaizantes detonuit: ab his enim summa pericula imminere Christiano cœtui, optime intellexit. Colosensibus præcipue damno esse poterant turbæ, a semi-iudaizantibus in Galatia excitatae; hinc cap. II. tot. contra hos turbatores pugnat, di-

C

spu-

n. 2.

n. 3.

n. 4.

n. 5.

n. 6.

n. 7.

sputat, declamat. Tenerimum affectum amoris in auditores  
 & discipulos suos ubique exprimit. Quam blande quæso  
 agit cum Colossensibus? Se ut patrem pro infantibus apud  
 Deum intercedere, Col. I, 9. se de salute eorum (*αγαπά εχειν*)  
 summopere angit, Col. II, 1. refert: laudat etiam amorem, quo  
 Colossenses in veritatem ferebantur, Col. I, 3, 4. atque hac ratione  
 n. 9.  
 pro more suo animis sese insinuat. Vinculorum suorum aliorum-  
 que periculorum & laborum, frequenter alibi meminit: sic &c.  
 I, 24. c. IV, 18. hortatur Colossenses, suarum ærumnarum ne obli-  
 viscantur. Tradita verae religionis doctrina, ad hominis  
 Christiani officia pergere, virtæque sanctitatem cum fidei puri-  
 tate coniungere, perpetuus Apostoli mos fuit in conscribendis  
 literis: Sic & in nostra epistola, postquam a Colossensibus veram  
 religionem sollicite custodiendam præceperat, c. I. & II. ad san-  
 ctam vitam agendum gravissime hortatur, cap. III. & IV. In  
 fine literarum suarum Paullus salutem dicere nomine amico-  
 rum fratribus notis solitus est; sic & in nostra c. IV, 7. ad fini  
 multa leguntur nomina amicorum, quibus Paullus salutem im-  
 pertitur, quorum & iussu Colossensibus salutem dicit. Pro-  
 pria manu literis subscribere divinamque gratiam fidelibus ap-  
 precari, assolet: sic & Col. IV, 10. ο ασπασμος τη ευη χειρ  
 παυλου. -- Η χειρις μεστη νησων, αυην. Sequitur Apostolus mo-  
 rem forensem, quo, ut præcedentis scripturæ fides confirmare-  
 tur, chiographumque certo scriptoris & auctoris signo dignosci  
 posset, nomina sua apponere solebant, qui in ære alieno e-  
 rant v. SALMASIVS de modo usuar. cap. II. His omnibus  
 atque singulis rite ponderatis, nemo facile erit, qui epistolam  
 ad Colossenses ab alio, quam a S. Paullo exaratam affirmet:  
 in primis si ea, quæ §. I. a nobis sunt allata, addiderit.

## §. IX.

Qua data occasione Paullus ad Colossenses dederit  
 epistolam, ex ipsa hac, huiusque argumento luculentissime pa-  
 tet.

De occasione  
 scribendi hanc  
 epistolam.

ter. Venerat Epaphras Romanum, captivoque Paullo Colossem-  
sium conversionem ad Iesum nunciaverat. Col. I , 4. 7. Quo  
laetio nuncio Apostolus recreatus, non poterat, quin gaudium  
suum per literas testaretur, Christique sacris initiatos in veri-  
tate suo quoque testimonio corroboraret. Col. I, 23. c. II, 2, 3.  
seqq.

Ab Epaphra idem acceperat, in Phrygiae vicinia tur-  
bas multas esse excitatas per Semi-iudaizantium deliria, de  
legis Mosaicæ aeterna observatione, eiusdemque cum Evan-  
gelio necessaria coniunctione. Immo vero etiam fit verisimi-  
le, Epaphram ideo a Colossensibus ad Paullum missum fuisse,  
ut, quid de hac Iudaismi cum Christianismo commixtione cen-  
sendum, quereret. Cum enim praecepit in epistola agatur, ut  
ab imminenti haeresi ecclesia Colossensis sancta & pura fervetur,  
utque ab observatione rituum Mosaicorum avocaretur, (conf.  
Coloss. II. tot.) prona est conjectura, Epaphram de Gnosti-  
corum peste ad Paullum detulisse, Apostoloque occasionem scri-  
bendi dedisse.

His addimus literas a Laodicenis ad Apostolum datas,  
quæ sine ullo dubio eadem de causa ad S. Paullum exaratae, &  
per Epaphram missæ fuerant. Nam, cum hæ ad Colossem-  
ses cum Laodicenis communicanda essent, ut sint loco respon-  
si, necesse est, in his ad quæstionem a Laodicenis propositam,  
responsionem iustum obviare. Missæ autem Laodicenos ad  
Paullum literas, nemo dubitat, qui ad verba Paulli rite at-  
tenderit : *καὶ τὴν ἘΚ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ* *καὶ καὶ σφις αναγνωτε.* Col.  
IV, 16. Plura diximus, ut antea monuimus, *Sect. I. introd. nostræ in*  
*lectionem Epistole ad Coloss. §. 19. p. 33.* & in notis ad b. *PRI-*  
*TII introd. in N. T. p. m. 137.* nunc etiam *IO. LAMIVS*  
*de erudit. apost. p. 166.* addi poterit.

In hac triplici occasione acquiescimus, utut plures a  
Clar. Dn. STARCKIO in *Synops. bibl. exeget.* Tom. III. p.  
243. allegatas videamus, maximam partem ad nostrum nume-  
rum

rum ternarium referendas. Duas modo causas citavit SEB. SCHMIDIVS in *Comment. ad Coloss.* p. 4. nimurum ex parte Colossemium, periculum seductionis per Pseudo-Docentes, c. II, 8-18. ex parte Apostoli, paternam pro Colossemibus curam & sollicitudinem. c. II, 1. De b. FR. BALDVINI sententia, nobiscum plane conspirante, vide sis aureum volumen *comment. in epistol. Paullin.* p. m. 1036.

## §. X.

*De Scopo huius  
epistolæ.*

Exinde patet, quem scopum Apostolus sibi prefixum habuerit, nostram cum componeret epistolam. Ipse conceptis verbis perhibet, totum se in id incumbere, ut corda Colossemium in agnita veritate *confirmaret*, Col. II, 2. quam etiam ob causam Tychicum Colosgas miserat, *να παραληπει τας οποιας υπων.* Col. IV, 8. Quæ confirmatio vel ideo necessaria erat, quod seductores in propinquo erant, quorum lenocii animi fidelium distrahi atque disturbari facile potuissent, faciliorque ad illos transitus fuisset, nisi auctoritas summi Apostoli obstitisset. Vult Paullus in tempore pravis hereticorum machinationibus occurrere, animos Colossemium in veritate & sanctitate *obfirmare*, Christi regnum in iis stabilire, & credentes ab omni mentis fluctuatione liberare. Nemo Apostoli curam reprehenderet, dummodo secum ponderaverit, erroneas Semi-iudaizantium opiniones in ipsum fidei fundamentum impingere, nempe in doctrinam de iustificatione hominis peccatoris coram DEO, &, quæ cum proxime connexa est, de discrimine legis & evangelii. Nec poterat prius ad sanctos mores adhortari, quam de fidei puritate, cui firmissima theologiae moralis columna, preceperat Paullus: quam methodum ut supra observavimus, in omnibus fere epistolis studiose retinuit.

## §. XI.

*De Semi-iudaicis.*

Necesse autem erit, ut turbas ab Haereticis in Colosensi ecclesia

ecclesia huiusque vicinia motas, curatius paullo lustremus; interest enim interpretis, ut horum notitiam habeat certiorem. Erant olim, qui Christo nomina sua dare quidem non dubitabant, hac tamen lege, ut Iudaismum cum Christianismo conjugendum, cæremoniasque Mosaicas cum Evangelio combinandas autumarent. Admittebant gentiles ad ecclesiae Christianæ consortium, si difficulti circumcisionis legi sese submitterent, id quod ex Act.XV. luctuissime patet. Nuncium itaque Iudicæ superstitioni missile videbantur, sed leges Mosaicas, quas aeternas putabant, de festis diebus, de iejunio, de discrimine ciborum, &c. simul cum institutis Christianorum observabant. Paullus falsos hos doctores traducit nomine *doloforum operariorum*, habitum atque nomen Apostolorum Iesu mentientium. Οι γαρ τοιχοι ψευδαποστολοι, εγουαται δολιοι, μετασχηματιζουσινοι εις αποσολας χριστου. 2. Cor. XI, 13. Hos inter ex EPIPHANI  
NII hæres. 26, c. 2. & PHILASTRII de hæres. c. 36. catalogis, *Cerinthus* nominandus esset, quippe qui legis Mosaicæ aeternam necessitatem ubique crepabat: Legem Evangelio miscevit, teste HIERONYMO epist. 89. Paullique epistolas, suæ hæresi aperte nimis contradicentes, repudiavit, ut recte monuit EPIPHANIVS I. c. cap. 6. conf. ITTIGIVS de hæresarchis ævi Apostol. Seet. I. c. v. §. 3. p. m. 58. Iudaicis ritibus fayebat quoque EBION, circumcisionemque retinendam omni nisi fraudebat, novaque sic miscebat, ut vetera non amitteret. HIERONYMVS I. c. Nazareos his adderem, dummodo certiora de horum erroribus documenta prostarent. Cæterum fit mihi verisimile, Semi-iudaizantium errores late pariter & facile propagari potuisse inter Ex-Iudeos, quia non poterant non ψευδαποστολοι admodum placere omnibus, patria instituta avitamque religionem ægre dimittentibus. Ecclesiam Antiochenam adeo in diversas partes scidebant iidem, ut non nisi Apostolorum effatis, in Concilio Hierosolymitanø prola-

zantibus hæreti-  
cis seculi I.

tis, lites componi possent. Act. XV. 20. seqq. & c. XXI. 25.  
 Quod si receptam sententiam, de HERMOGENE, PHY-  
 GELLO, HYMENAEO & PHILETO sequi vellem,  
 hos etiam illis, qui & mores & instituta iudaica cum religione  
 Christiana copulare fategerunt, adnumerarem. Sed, quoniā  
 nec verba Paullina, 2. Tim. II. 16. ad quae vulgo provocatur,  
 rem conficiunt, neque aliunde certiora argumenta adduci pos-  
 sunt, animo pendemus. Qui plura de Semi-iudaizantium fa-  
 milia nosse cupit, adeat BV DDEVM de statu eccl. Apostol.  
 cap. 3. p. 194. seqq. & c. 5. p. 292. ITTIGIVM de bæresiarch.  
 Sect. I. c. 5, 6, 7, 8. &c. ADR. COCQVIVM in observ.  
 critico-sacris p. 8, 9. CAMP. VITRINGAM in observ.  
 Sacr. L. 4. c. 9. SALOMONEM VAN TILL in isagog.  
 ad quatuor epist. Paulli. p. 12. Omnis fere Galatia, ab iisdem  
 Semi-iudaizantibus occupata fuerat, Gal. I. 6. & c. III. 1.  
 seqq. quae cum a Phrygia esset proxima, S. Paullus timebat,  
 ne inter Colossenses eadem turbæ proxime orirentur. Qui-  
 bus ut occurreret, in nostra epistola cap. II. gravissime  
 disputat de abolitione legis Mosaicae, quam aptissime dicebat  
 $\sigma\mu\alpha\tau\tau\omega\mu\delta\lambda\alpha\eta\tau\omega$ , v. 17. vt Colossenses ipsi inde concluderent,  
 antitypo adueniente typos cessare, lucique umbras &  
 nebulas cedere. Virget porro, legis cum evangelio commixtio-  
 nem, non esse  $\pi\alpha\tau\alpha\chi\epsilon\tau\omega$ : baptismum in locum circumcisioñis  
 venisse: chirographum e medio per CHRISTVM subla-  
 tum: & quae sunt reliqua, a SALOMONE VAN TILL  
 in isagog. ad quatuor Paullin. epist. p. 364. diligenter observata.  
 Sunt, qui Colossenses erroneous his opinionibus iam circum-  
 ventos fuisse autem. Ego vero, quid in Colossium fide, tan-  
 tis laudibus ab Apostolo ornata, desiderari queat, ex epistola no-  
 stra non intelligo. Non agit cum Colossensibus prout cum  
 Galatis, diuinus Apostolus; sed ne aures futuris seductoribus  
 præberent (hactenus enim nondum præbuerant) diligenter  
 caver.

Re-

Recte exinde colligitur, quid Paulus, si etiamnum su-  
perstes esset, de *Roman. Missionariorum* artibus, quibus se se ad  
gentilium opiniones accommodant, sit pronunciaturus. Quem-  
admodum enim veteres semi-iudaizantes tempori inserviebant,  
Iudeisque recens ad Christum conversis observationem legis  
Mosaicae concedebant, immo vero etiam Ex-gentilibus, ne Iu-  
dæis offendiculo essent, eandem erga Mosaica instituta obedien-  
tiam imperabant: Sic & hodie, qui Sinensibus & Indis,  
Christo nomina sua dantibus, pristina pagana instituta ut te-  
neant, temere concedunt, arcam fœderis lateri Dagonis idoli  
iungunt, ipsique turpi adulatio[n]e & servili timore quosdam  
superstitiosos & idololatricos profanarum gentium ritus se-  
ellantur. Caussam interserunt, dandum quid esse præiudicatis & inveteratis opinionebus, difficulter ex animis hominum  
eruendis: utendum esse mediis, per quæ facilior aditus ad gen-  
tes daretur novis doctoribus: eligendum esse malum minus,  
ne ab omni confortio cum convertendis excluderentur. Rem  
exemplo confirmabo. Qui ex Ignatii scholis ad Indo-  
profiscuntur, dubitant nulli, frontem fimo vaccino si-  
gnare, qui in Malabaria & omni India idolum *Tchiven* hoc  
signo putido colentium gentilium mos est perpetuus. Ne-  
gant præterea, se *Francos* esse, i. e. Christianos ex Europa  
oriundos, Malabaricis nimis exos: *Sanias* se vocant, ab Aqui-  
lone venientes *Braminas* i. e. idolorum sacerdotes. Proh De-  
um immortalem! haec si venia, illæsa religionis sanctitate,  
mendacio datur, de omni inter homines fide, quidni  
& omni de religione, actum erit proxime. Ast excusant cal-  
lida sua consilia, sequi fimo vaccino tanquam nobilitatis, seu or-  
dinis equestris indice uti, incautis Europeis persuadere stu-  
dent: quibus difficulter admodum imponent, posteaquam cele-  
berrimus LACROZE artes has plenissime detexit. Vid.  
*Indianischer Christen-Staat.* Libr. VI. cap. II. §. 4. Ne  
quid

De Rom. Missi-  
onariorum simu-  
latione in con-  
vertendis Paga-  
nis.

quid de cultu *Confucii* dicam, quem isti nuncii imitari nulli hæsita-  
runt. Ecquam habet lux cum tenebris communionem? Qui pos-  
set Christus cum Beliale concordare? 2. Cor. VI, 15. Dixeris,  
mediis pro obtinendo fine optimo, hoc est, ad conversionem  
gentilium promovendam, esse utendum: Attamen, media si  
sunt illicita, finis bonus excusare eadem nequit; mala enim faci-  
enda non sunt, ut inde eveniant bona. Rom. III, 8.

## §. XII.

De Gnosticis at-  
que Plendo-Phi-  
losophis.

Quid συλαγωγ.  
γεν.

Alia hæreticorum fuit familia, de qua Colossensibus  
suis malum meruebat Apostolus. Philosophiam scilicet iacti-  
tabant *Gnostici*, sed eam Christianæ religioni nocuam, & eu-  
angelio Christi contrariam; à qua, ut sibi caverent Colos-  
senses, gravissime monet Paullus: *Βλεπετε μη τις ομαδεσον ο συλαγωγων δια της φιλοσοφιας και νευης απατης, κατα την παραδοσιν των ανθρωπων, κατα τα σοιχητα της κοσμου, και γ κατα χριστον.*  
Col. II, 8. Exprimit Apostolus fraudes Gnosticorum uno ver-  
bo συλαγωγεν, quod simile, a prædonibus prædæ inhiantibus  
desumtum, innuit. Ex infidili hi agere solent, probe gnari,  
plura occulto quam aperto Marte vinci atque expugnari. Sic  
& Gnostici animabus Colossensium inhiantes, egregio Phi-  
losophiæ titulo errores suos palliabant, suaque somnia splendi-  
da hac specie commendabant. Vana quidem erat, (*κενη*) sed  
simul quoque seducens, (*απατη*) falsisque plane principiis su-  
perstructa philosophia: Qualis enim fuerit, ex v. 8. sequ. cla-  
risimè patet, nempe corruptissima Platonico-Pythagorico-  
Cabbalistica, a Gnosticis saeculo primo iactitata: de qua ut summe  
venerandi Abbatis, Dn. D. MOSHEMII cogitata studi-  
ose legantur & expendantur, non sine ratione suaderemus. v. *in-*  
*stit. hist. eccl. antiquior. p. 118. seqq.* Addi forsitan pot-  
erit dissertatio a me nondum visa Clar. M. IO. FRID. STI-  
BRITII de *Platonismo in Cerinthianismo redivivo & a Paullo*  
*proficigato in Col. II. v. 9.* (Haleæ 1736.) Ne plura addam, &  
rei

rei obscuritas & prolixitas prohibet: facilius quippe nobis videtur, vastis commentariis, quam paucis lineis, Gnosticorum & Pseudo-Philosophorum ævi Apostolici historiam complecti. Sufficiat monuisse, Paullum nihil minus, quam humanæ sapientiæ studium dissuadere, sed figmenta falso iactatae Philosophiae, Christianæ doctrinæ repugnantia. Addit enim Apostolus, την φιλοσοφιαν tradere την παραδοσιν των ανθρωπων κατα τα σοιχεια των κοσμων, ου κατα χριστον. v. 8. Debeatnexiudeis, an Exgentilibus an aliis originem suam, penes alios esto iudicium. Sunt, qui eam a Iusibus Iudaorum Cabalisticis deriuandam iudicant. Nec nego, Apostolo h. l. rem esse cum iis, qui, sub titulo Philosophiae, opiniones Iudaicas Colossensibus commendaturi erant. Præterea, dum Apostolus eam, quæ κατα την παραδοσιν των ανθρωπων, κατα τα σοιχεια των κοσμων, Philosophiam damnat, in mentem nobis venit Iudaorum Pseudo-Philosophia, utrique huic fundamento superstructa. Quis etenim ignorat, Traditiones maiorum auro cæriores semper habuisse Iudeos, credulos? Quis nescit, leges ceremoniales (has enim Paulus per σοιχεια των κοσμων intelligit, conf. Gal. IV, 3.) aternas atque immutabiles credidisse Iudeos? Atque sic in Iudaicam Pseudo-Philosophiam effatum Pauli quadrare potest, ut vult IO. BRAVNIVS in select. sacr. p. 93. Agit Apostolus de vana Philosophia, quæ consistit in deceptioribus, præsertim de Philosophia scribarum & Phariseorum, qui Iudaorum fuerunt Philosophi, quemadmodum vocantur a Iosepho de bello Iud. L. II, c. 12. & antiqu. L. XVIII, c. 2. quæ consistebat in operosa ratiocinatione, שורה קלה ותומר כורה & id genus alia, quibus totum opus Talmudicum scater, & cuius habemus campendium in libro Halichot Olam. v. BRAVNIVS in doctr. foeder. p. 13. Eandem sententiam fere, nisi quod Theurgiam addiderit, tuetur celeberrimus Berolinensium Theologus, D. REINBECKIVS in præf. ad part. II. Betrachtungen über die A. C. p. 50. Atque hanc Apostoli mentem se-

D

quuntur

q[ui]nuntur, quotquot ecclesiæ Christianæ bene cupiunt Theologi, usum humanæ sapientiæ ab abusu sedulo distinguentes.

De usu & abusu  
Philosophiæ.

Graui enim iniuria afficiunt nostros divini verbi ministros, qui, omnem Philosophiam a sacris suis hos arcere, utruiusque carbonariæ patrocinentur, frivole contendunt, rectissime id observante *Theologo summo*, cuius nomen omnis nostra Saxonia sancte veneratur, in denen zufälligen *Gedancken über eines vornehmen Theologi Betrachtungen* der A. C. part. II. p. 13. Parum abeft, quin & Reformatorum coetus, quotquot nostra ecclesia alit, Sacerdotes dicat philosophiæ osores atque contemtores. Falluntur, inquit IO. BRAVNIVS, pontificii ac Lutherani, aliquique, qui statuunt, rationem babere nullum aut exiguum usum in rebus Theologicis, ut suas ruerantur ferentias de πολυτοπίᾳ & παντοτιᾳ vid. doctr. foeder. p. ii. Quæ accusatio homini Belgæ, illique doctori supralapsario, ( sit venia verbo ) facile condonatur, quippe qui usum rationis organicum & magisteriale aperte commisceret. Dolemus vero, easdem tibias inflare nostri sæculi, nostrique ceterus filios quosdam degeneres, ordinem nostrum neglectus Philosophia damnantes, quo certe abstinenter, animus nisi in Theologorum libris & scholis hospes esset. Est & manet Philosophiæ sobriæ honos suus in Theologia & usus, nec ullus puriorum doctorum extirpatam reiectamque cupit humanam sapientiam, dummodo ne abusus obsit sanctissimæ religioni, id quod non raro fieri, experientia magistra est. In abstracto considerata philosophia ( loquar barbare ) nemini non ceu bona & vera placebit : sed sicuti in concreto hanc & illam philosophiam sectariam designat, tot humanis lapsibus laborat, ut, que ab omni labe immunis, reperiatur nulla. Quam vero tenemus philosophiam, omnis in concreto sumitur ; theologus igitur, ne philosophia sectaria sanctissimæ religioni sit impedimento, omnino propiciat necesse est. Quid enim fieri, de nostra religione, quando cum LVD OV. MEIERO fā  
nam

nam rationem dixeris interpretetem scripturæ atque religionis? Hunc enim auctorem esse famosissimi libelli, *Philosophia Scripturæ interpres*, BENTHEMIO credimus. vid. Holländisch. Kirchen Staat. part. II. c. 2. §. 5. p. 62. Quid, si cum plerisque *Reformatis* rationi tribueris potestatem quasi magisteriam atque principalem? Quid, si cum CLERICICO in Logic. p. 115. docueris, solam rationem nos docere, quis sit revelationis alii factæ sensus? Quid, si cum antiquioribus & recentissimis *Pelagianis* omnia gratiae divinae auxilia, maxime illuminationem non solum negaveris, sed & Fanaticis opinionibus adnumeraveris, ideo quod philosophia, quomodo gratia in hominis mentem operetur, ignorat? Quid, si passim observaveris, fidem divinam misceri humanæ, & solam credendi caussam in humana sapientia, non in verbo Dei, unico fidei divinæ principio, queri? *Nervus sane Naturalismi in errore hoc consistit*, (observante Theologo summo Magnif. DN. D. VAL. ERN. LOESCHER O in prænot. theol. p. 225.) plurimique, ne videantur S. literas & Christianismi auctoritatem omnino repudiare, hoc utantur techorio: *Reipſa autem ſic tollunt e medio dignitatem uſumque S. Codicis*, & fidem manibus atque pedibus quasi ligatis rationi tradunt. conf. MEISNERI *philosoph. ſovr. part.* I. p. 9--53. Rectissime agunt Theologi, hanc si philosophandi rationem ut impiam respuunt, nobilissimæque scientiæ abusum graviter taxant, secuti exemplum S. Paulli Apostoli, Gnosticos, quod errores suos splendido Philosophiæ titulo vesteibant, multa vi animique commotione redarguentis. Certissima pariter & elegantissima sunt b. LVTHERI nostri verba: *Es iſt gar „Schimpflich, daß wir Gottes Wort wollen mit unsrer Vernunft“ verfechten, so wir durch das Wort Gottes folgen uns wider alle „Feinde wehren.* Eph. IV, 17. wäre das nicht ein Narr, der im „Streit seinen Harnisch und sein Schwerdt wolte schürzen mit blut“, ſer Hand und Kopff? So iſt auch, wenn wir Gottes Gesetze, „das uns're Waffen sind, mit unsrer Vernunft schützen wollen.“ Tom. I. Altenburg. p. 456. & Tom. I. Ienens. p. 265. Addi his portet iusta eiusdem de nimio scholasticæ Theologie amore que-

» rela. Meine lieben Theologen haben sich aus der Mühe und Arbeit gesetzt, lassen die Bibeln Bibeln seyn, und lesen sententias. Tom. I. Altenburg. p. 506. Abusum scilicet taxat b. Megalander, more Patrum Ecclesiae Christianæ primitivæ, quorum effata de Philosophia seductrice abominanda & exterminanda, apud PETAVIVM dogmat. theol. tom. I. in prolegom. c. III. legere licet. Accipe unum GREGORII NAZIANZENI locum, in nostram quam vivimus etatem probe quadrantem, carm. de vita sua.

Γλωσσαὶ τε λαθροί, καὶ πολυτροφοὶ πλοναὶ  
Εξ αὐτοῦ γάπλεν οιχαται της πιστεως,  
Ισοι τ' αρχήν, σαθρὰ δεσμωτηριαῖ,  
Τα κυρφα συνδεστεοι ιχυροὶ γελωσ,  
Ραγειν, η λυθειν εν τερροῖς λογοις  
Οι τέμπεσοντες εκφυγοιν ταξ βροχης.

h. e.

*Linguæque audaces & multiplices textus,  
Per quas simplicitas perit fidei,  
Telæque oraneæ, imbecillus cancer,  
Quæ levia illigant, robustis risus,  
Rumpantur aut solvantur validis sermonibus,  
Et qui incidentur, effugiant laqueos.*

Concludam adhortatione venerab. Dn. D. REINBECKII,  
in præfat. ad part. II. Betrachtungen über A. C. p. 51.

Philosophia heißt dem Apostel Col. II, 8. so viel, als dasjenige, was in der That nur ein Schein der Weisheit war, von den Menschen aber für Philosophie und Weisheit ausgegeben wurde. Daher den freylich auch noch heutiges Tages eben diese Ermahnung gilt, daß man sich für falschen Sätzen und Schlüssen in acht nehmen und sich durch den bloßen Nahmen der Philosophie und

der

der tieffen Natur-Geheimnisse nicht betriegen lasse, indem es allerdings wahr ist und bleibt, daß auch die Weltweisen viele falsche Sätze haben, und haben können. Wie nun aber nicht folget, daß man sich deswegen für der Theologie zu büten habe, weil diejenigen, welche sich Theologos nennen, eben auch oft viele falsche Schläfse machen, und dadurch zu Kerzern werden können; also folget auch nicht, daß man sich um der falschen Schlüsse einiger Weltweisen willen für der Welt-Weisheit an sich selbst büten müsse.

Manet itaque, ut antea monui philosophiae, se intra suos limites continent, iustus honor, debita veneratio. Ast, cum a primordiis ecclesiae in Christianæ pseudo-Philosophi puriorem doctrinam invaserint, monendi omnino erant Colossenses, ne seductoribus obtemperarent: Monendi etiamnum sunt homines Christiani, ne quævis, specie philosophiae commendata, statim admittant: Παντα δοκιμαζετε, το καλον κατεχετε, i. Theſſ. V, 21.

### §. XIII.

Præter hos & alii ψευδοδιδασκαλοι ecclesiae Colossensi turbas minabantur, quorum imperium Apostolus reprimere studet. cap. III, 18. sequ. Sicut malignus spiritus ex hac parte per Gnosticos evangelicæ veritati nocere, sic & mores Christianorum optimos corrumperè, ex illa parte studebat. Scilicet, alia Gnosticorum familia, in diem vivens, Christianam libertatem in licentiam vitiosam commutabat, omnibusque vitiis temere indulgebat. v. CLEMENS Alexandr. L. III. strom. c. 5. Alia severam tristemque vitam agens, humilitatem morumque austerioritatem simulabat, & affectata pietatis specie hominum oculos animosque in se convertebat, Εχοντες μορφωσιν ευσεβιας, την δε δουλαιην αυτης ηγιηπενοι 2. Tim. III, 5. Maxime præ se ferebat singularem ἡταπενθροσυνην, qua plurimi fere haeretici olim fastum suum palliabant. Hortatur itaque Apostolus Colossenses: Μηδεις νυνες καταθρεψεντα θελων εν ταπει-  
νοφροστηνη. Detegit simul fastum & superbiam in horum

De morosis morum doctoribus,  
inter Gnosticos.

animis latentem, Φυτιζμένος υπό τα νοος της σάρκος αυτω Col. II, 18.  
 Negligeabant corporis curam, deque continentia in cibo & potu  
 capiendo severè dictabant, ciborum discrimina tam ad legum  
 Mosaicarum, quam ad Pythagorearum rigorem imperabant, μη  
 οὐχ( nescio quid SAL. VANTILL somniaverit de hac voce,  
 dum ad matrimonii usum ea respici existimat. Provocat equi-  
 dem ad I. Cor. VII, 1. sed secum non reputavit, ibi solam  
 vocem απτεω non legi, sed phrasin, μη απτεω γυναια conf.  
 LAMB. BOS, exercit. philol. p. 207.) μηδε γεντει, μηδε Γρυς Col.  
 II, 21. Verendum omnino erat, probis moribus ne hic austere-  
 ritatis color imponeret: Mobile enim vulgus ad quamlibet ex-  
 ternam morum severitatem stupet, nihilque doli subesse cre-  
 dens, nubem pro Iunone ambabus amplectitur. Reputa te-  
 cum summam, qua *Stylitarum* inepta disciplina religioque fuit

*De Styliis, Salis, Aseris, &c.* pri-  
 olim suscepta, venerationem. In arborum cacumina summa con-  
 volabant ascetae, columnas excelsas ascendebant, ibique ab omni  
 strepitu securi, meditationibus sacris precibusque perpetuis se  
 vacare aiebant; præterea subinde indulgebant inauditæ exerci-  
 tationi, dies noctesque stabant, manus ad cœlum extensas mul-  
 tos annos servabant, nunquam eas retrahentes: & quæ reliqua  
 fuere *Stylitarum* ineptæ. Talis erat *Simeon Stylita*, *Josue Stylita*,  
*Lucas Stylita*, *Daniel Stylita*, aliisque in Græcorum Me-  
 nœis celebrati. v. ASSEMANNI bibl. orient. Tom. I. p. 261-  
 240. sequ. & venerabil. D.N. D. VRB. GOD. SIBERI fa-  
 cundissimi eruditissimique apud Lipsienses facrorum Antistitis,  
*dissert. de sanctis Columnaribus.* (an. 1714. Lips.) Cogita veter-  
 rum *Anachoretarum*, *Eremitarum*, cæterorumque *Aserarum*  
 cohortes, multa superstitione cultas. In primis *Eustathios*  
*αστυτας*, qui in Concilio Gangreni & accusati & damna-  
 ti, quod δια νομιζουσιν ασπυσιν περιβολαιως αν εν τατις δικαιοσυ-  
 νη εχοντες, usi fuerint. v. *Concil. Gangreni. can. 12. edit. Gundl.*  
*p. 85.* Memento *Salorum* propter Christum, hominum vœsa-  
 niam stultitiamque simulantium, christianamque simplicitatem  
 menti-

mentientium, e. gr. *Thomæ Sali* apud Evagrium L. IV, c. 35. *Theodori Sali* in Menæis Græc. d. 25. febr. & *Pauli Sali* l. c. d. 6. nov. Sed de his magistri historiarum ecclesiasticarum præcipiunt, ad quos ablegamus lectors harum rerum cupidos; ubi & de *flagellantibus* audient, quorum rabiem Esaviticam carnifiniam merito vocavit doct̄or Sorbonicus, BOILEAIVS, refragantibus licet multis priscarum ineptiarum fautoribus, in primis THIERSIO & MAIMBVRGIO. Est enim hæc morum austerioritas, opinione meriti affectata, a Deo neque mandata, neque unquam comprobata, divinis autem legibus atque institutis contraria. Est planta, quam cœlestis pater non plantavit, Matth. XV.13. Est εθελοθεσμεῖα καὶ ταπεινοφροσυνὴ Colossensibus ab Apostolo severè interdicta. Col. II, 23. Est διδασκαλία αὐθεωπαν, Matth. XV, 19. Est actio vana, quæ & divina institutione & divina promissione caret. Est vitæ ratio, ab ipso IGNATIO De *θελοθεσμοῖς* LOIOLA reiecta. Ignatius eos non laudabat, qui dulcedine *τητεια*. solitudinis & divinæ familiaritatis illecli, in arenam descendere, sua primum otia evellere, deinde etiam proximos adiuvare negligerent: quin immo pluribus doct̄us experimentis aiebat, quo minus in eo genere sibi temperant, eorum plerisque, nisi periti cuiusdam ductum sequantur, vel præcipuo Dei fulciantur auxilio, partim dæmonum illusoribus obnoxios esse, partim etiam contumaces ac sibi placenter. vid. MAFEI L. 3. 2. Homo enim non sibi foli fed & aliis, natus est: ut in negotio, non in otio, vitam consumat.

Vanus quoque est rigor, quem tot in *statu perfectionis* (scil. ex opinione Romanæ ecclesiæ) degentes tenent in vestitu, qua de perfectione in vestibus quæsita, audiamus ipsum SERARIVM promte confitentem: Nulla vestium antiquitas & humilitas, nulla panis & potionis egestas, nulla rerum omnium inopia & vilitas Christo nos commendabit, etiam si religiosissimi, humillimi, pauperrimi, coram hominum oculis videremur. v. ad Iof.

*Iof. IX. quæst. XXII.* pag. 219. Sed quid immoramus liti, de  
de qua inter ipsos illos nondum convenit: Regularis enim  
seculari, ordo ordini invidet, vitia obiicit, perfectionis san-  
ctitatisque gradum negat.

#### §. XIV.

De prohibito an-  
gelorum cultu.

Quæritur, fuerintne etiam ævo Apostolico, qui Angelorum cultum Colossensibus persuadere studuerint? Paullus hoc innuere videtur, dum Colossenses monet, ne se ab illis, qui θεωρουσαν των αγγελων iactabant, seduci paterentur. *Col. II, 8.* SALOMO VAN TILL existimat, Gnosticos Aeonas s. emanationes credidisse, quas *Angelos* interpretabantur, & inter quas summum Numen imperium orbis distribuisset. v. *Isagoge ad quat. Paulli epist. pag. 366.* TILLEMONTIVS perhibet, hæreticos quosdam docuisse olim, homini ad summam Deitatem per IESVM accedere non licere, sed per Angelos, ceu mediatores ab homine usque adeo non distantes: Vel Platonicos, vel Simonianos, vel denique Semi-iudaizantes vocando hos impostores, iudicat idem. v. *memoir de l' hist. eccl. Tom. I. p. 308.* Præeuntes habuit TILLEMONTIVS summos nostræ ecclesiæ doctores, quos ab excellentissimo labore suo *Centuriatores* vocare solemus, quippe qui *Centur. I. Libr. 2. cap. 5. p. 374.* Pseudapostolos quosdam docuisse Colossenses, filium Dei non esse salutis nostræ auctorem, sed per Angelos viam patere ad Patrem, perhibuerunt. Mallem ego Cerinthianos intelligere, de quibus b. I TTIGIVS e locis patrum fide dignissimis observavit, quod non solum de angelicis revelationibus gloriati, sed & mundum ab angelica quadam potestate conditum, legemque ab angelis datam afferere soliti fuerint. v. *dissent. de heresiarch. avi Apostol. p. m. 59.* Facillimum itaque fuit, ut uidem, quæ THEODORETI opinio est, angelorum cultum religiosum docerent, sub specie, D E V M ipsum nec attingi nec comprehendi posse, sed per angelos divinam bene-

benevolentiam conciliandam homini esse. Audiamus S. AVGVSTINVM epist. 149. S. Paullinum Nolanum de hac quæstione ita instituentem: *Addidit autem & CVLTVRAM ANGELORVM, vel sicut vestri codices habent, RELIGIONEM ANGELORVM, quæ græce θεονεῖα dicitur, angelos volens intelligi principatus, quos elementorum mundi buius præpositos, in his observationibus colendos arbitrantur.* conf. S. PAVLLINI NOLANI opera p. 308. edit. Murator. recent. Nec dissimulamus GARNERIVM multa verisimilitudine affirmasse, Cerinthianos post Paulli obitum, in Phrygia (ad quam Colossenses referendi) multos ad seclas habuisse: sed quæ de oratoriis S. Michælis, in Phrygia passim obviis ætate Theodoreti, narrat, ac si fuerint loca, ubi Cerinthiani quondam suas synaxes habuerint, doctioribus iudicandum damus. Etiamnum apud Iudeos hunc angelorum cultum obtinere, docte confirmavit IO. SAVBERTVS in duabus dissertationibus de adoratione angelorum ex Iudeorum mente; quæ Palæstræ theologico - philologicæ p. 31. sequ. insertæ leguntur. De PLATONE constat, quod Deum cum homine versari negaverit, sed, quicquid commercii & colloquii Deos inter ac homines est, id omne peragi per dæmonia. Θεος αὐθεωτὸς μηγούται, ἀλλὰ διὰ δαμονῶν πάσα εἴνη γηραια καὶ η διάλεκτος θεος προς αὐθεωτὺς. Atque sic locum habere posset TILLEMONTII coniectura. Habebis autem in hac hæreticorum perversa doctrina, preludia fabulae in Romana ecclesiæ contextæ de angelis mediatoribus, uni nostro mediatori IESV ad sociatis. I. Tim. II, 5. Vt enim GARNERIVS in *auctario operum Theodoreti* p. 490. venerationem in Romana Ecclesia angelis exhibant descripterit ita, ut a Paullino interdicto videretur excipienda, nostri tamen Theologi satis abundeque docuerunt, frustra & Garnerium & dei suæ socios in palliando errore, nimis aperto, hactenus laborasse. vid. ITTIGIVS I. c. p. m. 60. Cæterum qui nosse cupit, quid Platonici & Pythagorici angelis tribuerint; cur

E

Iudei

Oratoria S.  
Michælis in  
Phrygia.

Cultus angelo-  
rum in pontifi-  
cia ecclesia.

Iudæi angelis in dirigendis huius mundi rebus multa adscripte-  
rint; quomodo Effeni Angelorum cultui indulserint; Simoniani Gnostique cur angelos crediderint mediatores  
Deum inter & homines; adeat venerandi b. WOLFII *curas  
phiol.* N. 7. tom. III. p. 328. ubi singula uberioris confirma-  
ta leguntur. Quod si partes eruditissimi huius viri sequere-  
mur, longa hac inquirendi opera omni supersedere potuisse-  
mus. Paulli enim verba, θρησκεία των αγγέλων vertit doctissi-  
mus WOLFIVS in *cultum angelicum*, h. e. talem cultum &  
habitum, qui angelorum sanctitatem mentitur. Voluissent  
nempe Pseudo apostoli talem, pre se ferre animi humilitatem,  
quam in angelis conspicuam agnoscunt christiani.

## §. XV.

De Cataphry-  
gum s. Montani-  
flarum hæresi.

Sæculo post Christum natum secundo, Phrygia a porten-  
tofa Montanistarum hæresi multum vexabatur, quippe quæ  
Phrygiæ ortum suum progressumque debebat, indeque *Cata-  
phrygum* nomen consequebatur, nec non *Pepuzianorum*, ab op-  
pido Phrygiæ, Pepuza, quam Montanistæ Hierosolymam suam  
vocitabant v. EPIPHANIVS hæref. 48. sect. 14. Nisi me  
omnia fallunt, S. Paulus divino spiritu actus, pestem hanc Phry-  
giam prævidit, Colossensibusque tanta verborum vi imperavit,  
ab hac ut sibi aliquando caverent. Accipias quæso, quæ de  
Montani disciplina rigidiori scriptores tradidere, eaque ad  
Paulli verba, quæ cap. II, 18, 23. obviant, referas, facile  
intelliges, me a scopo vel omnino non, vel leviter saltēm ab-  
errasse. Nulla graviori peccato apud eum venia, nullus secundis  
nuptiis locus, nullum corporis culturae pretium, nullus abstinentiæ  
modus, inquit Reverend. Abbas, D. MOSHEMIVS *insti-  
bisf. Eccles. antiqu.* p. 200. Hæc si quis veterum testimo-  
niis confirmata cupiat, evolvat TILLE MONTI V M,  
qui peculiari capite de his Cataphrygum erroribus ex antiquis  
monumentis disputat, *memoir de l' bisf. eccl. tom. II.* p. 472. &  
b. ITTIGIVM in *dissert. de hæresiarchis ævi apostolici.* Sect.  
II.

II. c. 13. p. m. 197. seqq. add. EVSEBIUS L. V. hist. eccl. c.  
 14. 15. AVGUSTINVS de heresib. p. m. 69. EPIPHANIVS  
 haeres. 48. ITTIGIVS in historia ecclesiastica Sæculi  
 II. Cap. 7. §. 34. p. 332. CENTVRIATORES MAGDEB.  
 Centur. II. cap. 5. p. 77. APOLLONIO, acerrimo Montanistarum hosti, audit Montanus apud EVSEBIVM L. V.  
 hist. eccl. c. 18, ο διδαξας λυσεις γαμων, nuptiarum solutiones  
 docens, virginitatemque ultra modum collaudans: porro,  
 ο νικητας νομοθετησις, qui severas ieiuniorum leges præscriptis.  
 Atque hi ipsi errores a S. Paullo, in nostra epistola, gravissime  
 confutantur, quia ab ipso, tanquam θεοπνευστη fuerant prævisi.  
 Nec vanus fuit Apostoli metus, siquidem post huius obitum  
 omnem Phrygiam scatusse his impostoribus, sacrae historie ab-  
 unde testantur: nec potuerunt gangrenæ isti mederi aliter  
 episcopi orthodoxi, quam in concilio, quod habuerunt Hierapoli  
 præente S. Apollinario, Episcopo Hierapolitano, de cu-  
 ius vita & scriptis sect. I. §. 20. p. 35. nuper egimus. Nostræ  
 Colossæ fuerintne Cataphrygum rabiei expositæ, ignoramus,  
 eo quod latet, an post horrendum terræ motum, quo sub Ne-  
 rone concussæ, restauratae fuerint sub M. Aurelio imperatore.

Tu autem, æterne DÉVS, serva tuam ecclesiam ab o-  
 mni peste, in tenebris grasse! Ne prisci errores in orbem  
 redeant, pro tua in nos misericordia prohibe! Si qui  
 iam redierunt eos reprime! ut inconcussa semper stet  
 omnia tua!

VERITAS TVA!



CLA.

CLARISSIMO ATQUE NOBILISSIMO  
DOMINO  
*RESPONDENTI SVO*  
S. P. D.

PRAESES.

**T**VO igitur exemplo, DOCTISSIME AMICE, ME-  
ZIBRO DSZKY, gloriam umbram virtutis esse, abunde confirmas. Praeunte quidem divino nostro Magistro,  
spernere mobilem vulgi auram didicisti: Sed fugientem TE  
ubique sequitur vera gloria atque existimatio vera. Collige va-  
fa, nostræque Leucoreæ valedicens in dulcissimam patriam redi-  
certam hanc, mihi crede, habebis itineris comitem, nec facile a  
TE recessuram, gloriam. Lætabunda TE excipiet HVNGA-  
RIA, dignissimum civem suum, quemadmodum & Vitembergæ,  
inclusa LVTHERI sedes, TE adamavit, satisque numerose  
Bibliothecæ, quam a conditore suo HVNGARICAM voca-  
mus, præfectum vigilemque custodem esse adhuc voluit. Age-  
dum, quo coepisti tramite perge, & Ecclesiæ medios inter hos-  
tes gementi, quoad fieri poterit, TVA & pietate & eruditione  
fac sis ornamento praesidioque. Ego vero, TVI quories recordar-  
bor, ex animo divinum Numen precibus fatigabo, velit TE TV-  
AMQUE patriam, mihi tantopere caram, servare incolunem, o-  
mnique felicitatis genere beare, atque promeritis TE honori-  
bus quam proxime condecorare. Vale in IESV, Domino  
& Magistro nostro, iterumque vale!

Scrib. in Academia Vitembergenfi

A. R. S. d<sup>c</sup> CC XL. Dom. V. Epiph.




4078

ULB Halle

006 666 019

3





**Farbkarte #13**



INTRODVCTIONIS  
IN  
LECTIONEM  
**EPISTOLAE S. PAVLLI  
APOSTOLI  
AD  
COLOSSENSES  
SECTIO II.**

QVAM  
P R A E S I D E  
**D. CAROLO GOTTLLOB  
HOFMANNO**

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINA-  
RIO ET ALVMNOR. REGIO-ELECTORALIVM  
EPHORO

IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
D. XV. FEBRVAR. A. R. S. cIo 1o CC XL.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T  
**GOTTLIEB MEZIBRODSZKY**

MODRA - HVNGARVS

S. S. THEOLOGIAE CVLTOR.

VITEMBERGAE,  
STANNO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELD<sup>L</sup>,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.